

*Sicut punivisti adversarios,
sic et nos provocans magnificasti.*

Léctio libri Sapiéntiæ

18, 6-9

- ⁶ **N**ox liberatiónis ante cógnita est a pátribus nostris, ut vere sciéntes, quibus iuraméntis credidérunt, animæquióres essent.
- ⁷ Suscépta est a pópulo tuo sánitas quidem iustórum, iniustórum autem exterminátio;
- ⁸ sicut enim punivísti adversários, sic et nos próvocans magnificásti.
- ⁹ Abscónse enim sacrificábant iusti púeri bonórum et divinitátis legem in concórdia disposuérunt; simíliter et bona et perícula receptúros sanctos patrum iam ante decantántes laudes.

Verbum Dómini.